

84

---

*h*

11636

~~2~~  
11.6 36

12/14 63513

CD 1072409

R-17332



PROPRIUM

FESTORUM

QUAE

IN DIOECESI PACENSI

EX APOSTOLICA CONCESSIONE

NOVISSIMISQUE DECRETIS

SACRAE RITUM CONGREGATIONIS

CELEBRANTUR.



I. Orbe jam toto modulante pacem,

Recorriendo lo pasado

Cante alegre nuestra voz

*Pax Augusta* es Badajoz

Poco despues Obispado

Por Apóstoles fundado:

Es su honor, gloria y venera

Su Obispo *Juan de Ribera,*

Hacen tambien su blason

*Sisenando, Engracia, Aton,*

Y otros muchos de esta esfera.



3. Pacis Augustæ pretiosa rura

4. Dat veteranis.

2. Caesar Augustus Dominator Orbis

**DOMINICA TERTIA POST EPIPHANIAM.**

*In festo Beati Joannis de Ribera, Episcopi Pacensis, postea Patriarchæ Antiocheni, et Archiepiscopi Valentini.*

**DUPLEX MAJUS.**

*Omnia de Communi Confessoris Pontificis, 1. loc. præter ea, quæ sequuntur.*

**ORATIO.**

Deus, qui BEATUM JOANNEM Confessorem atque Pontificem pastorali sollicitudine, et divini sacramenti Corporis, et Sanguinis tui dilectione admirabilem effecisti, quæsumus, ut, ejus intercessione, redemptionis tuæ fructus nos jugiter facias esse participes. Qui vivis, &c.

**IN II. NOCTURNO.**

**LECTIO IV.**

JOANNES DE RIBERA Hispali natus anno millesimo quingentesimo trigesimo secundo, acceptum ex clarissima familia decus, non solum retinuit, sed quamplurimum etiam suis ipse virtutibus auxit. Ejus ad-

huc pueri innocentia, et pudor, et gravitas quædam morum adeo splendebat, ut, eo præsentem, omnes vererentur, nè quid indecòre dicerent, aut facerent. Quum apud Patrem humanioribus fuisset litteris egregiè instructus, Salmanticam ad severiores disciplinas, ea in Academia doctissimis viris adfluente, addiscendas fuit missus. Ubi quum integritate vitæ, et pietate cunctis exemplo esset, videreturque, ut magister ejus dicebat, ad corrigendos, et componendos condiscipulorum suorum mores venisse, tum eos fecit in studiis progressus, omnium ut ora in se unum converteret. Itaque Theologiæ doctoris laurea ei rite decreta, factusque ipse Presbyter, dignus est habitus, quem Pontifex Maximus, postulante Philippo Secundo Rege, vel ante legitimam triginta annorum ætatem Episcopum PACENSEM crearet.

*R.* Inveni David servum meum, &c.

#### LECTIO V.

Quo in munere talem se præstitit, qualem Timótheum Episcopum etiam juvenem Apostolus Paulus instituit, ita ut magna cum auctoritate, Episcoporum of-

ficia in Concilio Compostellano explicare potuerit. Qua profecto re permotus Sanctus Pius Quintus Pontifex Maximus eum paucis post annis in Cardinalium coetu publicè, et magnificentissimè laudatum, Patriarchæ Antiocheni dignitate auxit, nec multos post menses eundem ad Valentiaë Archiepiscopatum invitum transtulit, Valentinis quidem, ob ejus adventum, lætitia, PACENSIBUS verò, ob ipsius discessionem mœrore summo adfectis. Gregem suum quoad vixit, omni ratione pavit, verbo, scriptis, Sacramentorum administratione, Conciliis habitis: eum sæpè circumibat, ad necessitates ejus omnes præsto erat, immane pecuniæ pondus tum in iis sublevandis, tum in plerisque Templis, ac Cœnobiis, vel condendis, vel instruendis, collocasse quotannis repertus est. Accessione potentiæ ei facta ex Pro-regis munere, quod subeundum ipsi fuit in Valentiaë regno, Philippo Tertio cogente, ea est usus ad vitia magis excindenda, Christianasque virtutes latius suo in populo disseminandas. Ejus consilio, diligentia, diuturnoque labori, et operæ tribuendum est, quod Mauriscorum pestis ex

Valentiæ Regno fuerit depulsa, atque exhausta.

*R.* Pó sui adjutórium, &c.

*LECTIO VI.*

Quum virtutibus ipse omnibus floreret, tum præcipua, ac mirifica prorsus ejus extitit erga Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum pietas, quo coram complures quotidie horas venerabundus transigebat in tanta occupatione vitæ: nec ullum intermisit diem, quin Sacrificium perageret, quo tempore vim lacrymarum singulari incensus charitate profundebat. Atque ut ad mysterium illud amoris divini justis laudibus prosequendum exsuscitaret homines, indulgentiarum ei rei præmium quoddam à Pontifice Maximo proponi impetravit. In clarissimum Collegium, quod Corporis Christi voluit nominari, constituendum, inque ejus ædes, et Ecclesiam magnifice ædificandam, hæreditatem, quæ Patre mortuo sibi obvénit, valdè opíman cóntulit. Quibus in ædibus sedem sibi ipse delegit, ibique Episcopatus laboribus quadraginta novem annos fortissime perlatis, tandem defunctus, die, quem



7

prædixerat, postridie nonas Januarii anni millesimi sexcentissimi undecimi, omnibus Ecclesiæ Sacramentis instructus, Jesum ter clara voce adpellans, animam suavissime efflavit. Magna fuit in estimatione apud principes viros, reges, antistites, ipsosque adeo Pontifices Maximos, Sanctum Pium Quintum, Clementem Octavum, Paulum Quintum, summaque necessitudine conjunctus cum omnibus ferè qui ea ætate sanctimonia excelluerunt, in quibus Sanctus Carolus Borromæus quam eum haberet carum, testimonio sunt eæ epistolæ, quas ad illum dedit. Sepulchro illatus est in Ecclesia ipsa Collegii à se cõnditi, ejusque præstantibus virtutibus, miraculisque, eo deprecatore, factis, denique probatis, PIUS SEXTUS Pontifex Maximus eum Beatum ritè pronunciavit decimo quarto Kalendas Octobris, anni millesimi septingentesimi nonagesimi sexti.

*R.* Iste est qui ante Deum, &c.

### MISSA.

STATUIT EI DOMINUS.

*Oratio eadem officii.*

*Secreta.*

Illo nos igne, Domine, altari tuo intervenientes accendamus, quo BEATUS JOANNES Confessor tuus et Pontifex hæc peragendo æstuabat. Per Dominum.

*Postcommunio.*

Sumpto, Domine, Salutari mysterio, quæsumus, ut exemplo BEATI JOANNIS Confessoris tui atque Pontificis in perpetua tantæ dignationis recordatione maneamus. Per Dominum.

**DIE TERTIA APRILIS**

*In Festo Sanctæ Encrátidis Pacensis Virginis, et Martyris, quæ in cælum evolavit anno millésimo quinquagésimo.*

**DUPLEX SECUNDÆ CLASSIS.**

*Omnia de communi præter ea, quæ sequuntur.*

**IN PRIMIS VESPERIS.**

*HYMNUS.*

**Laudet chorus PACENSIVM**

Encratidem fortissimam,  
 Virtutis et constantiæ  
 Exemplar admirabile.

Discant tenellæ virgines,  
 Et obstupescant conjuges,  
 Senex, ephébus, parvulus  
 Omnes in unum discite.

A luce Jesu mentium,  
 Qui virginum cor recreat,  
 Quis separabit efferus  
 Ejus fidelem servulam?

Num linientes nuptiæ,  
 Domusque ditis commoda:  
 Num verba Matris dulcia;  
 Minæve Patris asperæ?

Sit laus Patri, sit Filio,  
 Tibique Sancte Spiritus  
 Da per preces Encrátidis  
 Æterna nobis gaudia. Amen.

ORATIO.

Deus omnium largitor honorum, qui  
 in famula tua Encrátide cum virginita-  
 tis flore martyrii palmam conjunxisti, men-  
 tes nostras ejus intercessione, ita tibi con-  
 junge, ut nulla creatura nos unquam à  
 tua separet charitate. Per Dominum,

## AD MATUTINUM.

## HYMNUS.

Encratidem pulcherrimam,  
 Et castitate præditam  
 Quidam potens et nobilis  
 Sibi jugari flagitat.

Libenter ut consentiat,  
 Illique nubat protinus  
 A Virginali pectore  
 Per vim Parentes exigunt.

At ipsa cuncta respuens  
 Occulta erémi permeat,  
 Mundi ut dolosi retibus  
 Se delitescens subtrahat.

Longe à tumultu sæculi  
 Et in cavernis abditam  
 Rex Sempiternus prospicit  
 Cibis alens et tegmine.

Sit laus Patri, sit Filio,  
 Tibique Sancte Spiritus  
 Da per preces Encrátidis  
 Æterna nobis gaudia. Amen.

## IN SECUNDO NOCTURNO.

## LECTIO IV.

ENCRATIS PACENSIS in ipso ætatis flore,  
 prout monumenta ferunt, perpetuæ vir-

ginitatis votum emisit, sed ejus Parentes hujus voti forsam ignari, eam cuidam præpotenti viro dare promiserant. Temporum injuria penitus ignoratur an sponsus indigena fuerit, vel Maurus, quorum jugo oppressa tunc erat Civitas PAX AUGUSTA. Quod quum rescivisset Encratis, ne virginitatis florem amitteret, clam è paterna domo abscedens, pedibus per loca invia, et inhóspita iter fecit Is, cui Parentes eam fuerant polliciti, hanc virginis fugam ægrè tulit, et minas, cædem, atque vindictam spirans eam insequutus est. Tandem in sylvis orantem invénit, et quum à Sancto proposito Encratidem removere nequiverit, caput ei abscindere non abhorruit. Duplici igitur virginitatis et martyrii palma decorata evolavit in cælum.

#### LECTIO V.

Narrant impium sponsum in lacum projecisse caput è corpore avulsum, quod miraculo fuit inventum. Dicunt enim quod splendidus nitor ex eo lacu irradians oves adaquandas timorem inferret, ita ut ab eo procul irent. Pastores quoque timore affecti fuere, quum eorum oculos ju-

bar illud sicut Solis in maximo fulgore perstrinxit; tunc exhausto lacu fulgidum, et rubicundum invenere caput. Ad perénne grati amoris monumentum ob assidua prodigia obtenta, in eo loco Sacellum in honorem Sanctæ Encrátidis extulere, cujus Festum ab immemorabili tempore in Civitate Pacensi celebratur. Nunc vero à Gregorio Décimo Sexto Summo Pontifice de consilio Sacrorum Rituum Congregationis Lectiones propriæ ex Historicis, atque antiquis Picturis depromptæ concessæ benigne fuere.

*LECTIO VI.*

Sermo Sancti Joannis Chrysostomi.

*Serm 67. de diversis.*

Ego maxime commemorationes diligo martyrum, diligo, et amplector: atque omnes quidem, sed tum præcipue quum mulierum certamina proponuntur. Quanto enim infirmius est vas, tanto major est gratia, tanto illustrius est trophæum, tanto insignior est victoria, non ob imbecillitatem sexus athletarum, sed quod per ea, quibus vicerat inimicus, nunc etiam vincatur. Per mulierem vicit, per mulie-

rem superatus est. Hoc illius antea telum erat: hoc illius nunc cædis factum est instrumentum, hoc vas apparuit insuperabile. Peccavit illa prior, et mortua est: ista mortua est ne peccaret. Illa tum futilis promissi spe inflata Dei leges violavit: hæc vitam præsentem contempsit, ne fidem in suum benefactorem ejuraret. Quam igitur deinceps sperare poterunt excusationem viri, si molles sint, et ignavi: quam vero veniam quum fortiter, et viriliter se gerant mulieres, quum adeo se generose ad certamina pietatis accingant? Fuit illi corpus imbecillum, et obnoxius sexus injuriæ: verumtamem omnium horum imbecillitatem adveniens gratia occultavit. Nihil enim est, nihil plane potentius est eo, qui magno cum studio Dei timorem habeat in mente defixum; sed quamvis ignes, quamvis ferrum, quamvis bestias, quamvis aliud quidvis minentur hostes, omnia nullo negotio contemnit; quod utique Beata ista etiam fecit.

AD LAUDES.

*HYMNUS.*

Sponsus pererrat concitus,



Et usquequaque cursitans  
 Pacis fruentem munere  
 Deoque fixam detegit.  
 Nunc blandienter allicit,  
 Demum minanter territat;  
 Ast illa: corpus pércute  
 Sponsum supernum præfero.  
 Turbatur ipse carnifex;  
 Tu permanes interrita,  
 Collumque tradens candidum  
 Victrix sub ense concidis.  
 Caput triumphans impius  
 Per arva defert dissita,  
 Et in paludem projicit  
 Divinitus quod panditur.  
 Sit laus Patri, sit Filio,  
 Tibique Sancte Spiritus,  
 Da per preces Encrátidis  
 Æterna nobis gaudia. Amen.

IN SECUNDIS VESPERIS.

*HYMNUS.*

Oves ut undas ébibant  
 Adsunt paludi, at maximo  
 Fulgore viso protinus  
 Eunt retro perterritæ.  
 Et ipse Pastor lumine



**Perstrictus, et cæcutiens**

**Clamore rura concutit**

**Gentes remotas advocat.**

**A** parte cuncta confluunt

**Aquam trahunt, et impigre**

**Fundo lacus jam pervio**

**Valde stupentes detegunt**

**Rubens, recens, et fulgidum**

**Caput decoræ virginis**

**Nostratis olim, denique**

**Cælo receptæ Encrátidis.**

**Sit laus Patri, sit Filio,**

**Tibique Sancte Spiritus**

**Da per preces Encrátidis**

**Æterna nobis gaudia. Amen.**

Missa de communi. = Me expectaverunt. = Oratio propria ut in Officio: Evangelium. = Simile erit regnum cælorum decem virginibus.

*Sacrorum Rituum Congregatio in Ordinario Cætu ad Vaticanum sub infrascripta die coadunata, audita relatione ab Eminentissimo et Reverendissimo Domino Cardinali Thoma Weld Ponente facta, omnibus mature, accurateque consideratis ad tramites Rubricarum, et De-*

*cretorum, rescribendum censuit. = Pro gratia, et ad Eminentissimum Ponentem, cum Promotore Fidei = annuit nimirum pro gratia ad probationis, et elevationis ritus ad duplex secundæ classis in Festo Sanctæ Encrâtidis concivis Pacensis. Revisis itaque, correctis et emendatis Oratione, Hymnis, et Lectionibus secundi Nocturni in Festo Sanctæ Encrâtidis, per eundem Eminentissimum et Reverendissimum Dominum Cardinalem Relatorem una cum Reverendo Patre Domino Virgilio Pescetelli Sanctæ Fidei Promotore, eo modo, quo Superiori in Exemplari jacent, illa Sacra Congregatio adprobavit, atque in Officio supradictæ Civis Pacensis à Clero ejusdem Diocesis legi, ac recitari posse concessit.*

*Die septima Aprilis 1832.*

*C. M. Episcopus Prænestinus, Cardinalis Pedicinius, S. R. C. Præfectus.*

*Loco ✠ Sigilli.*

*J. G. Fatati, S. R. C. Secretarius.*

*Visto por el encargado de negocios y de la Agencia General de S. M. C. en Roma à 8 de Julio de 1832. = Paulino Ramirez de la Piscina.*

17

**DIE VIGESIMA SECUNDA MAII.**

*In festo Sancti Atthonis Pacensis, Episcopi et Confessoris.*

**DUPLEX SECUNDÆ CLASSIS.**

*In primis vespers.*

*HYMNUS.*

Eja concordi celebremus omnes  
Civis Atthonis modò gesta cantu,  
Quem doli expertem Deus in beata  
Sede locavit.

Namque doctrinis, nitidisque nostram  
Moribus, regnum retinente Mauro,  
Orbis Hispani celebrem per oras  
Reddidit urbem.

Grandis it natu procul ast ab ista,  
Inclytas sedes petit et Quiritum,  
Sanguine ut sacro monumenta juxtim  
Sparsa videret.

Intrat hinc lætus loca Vaticani,  
Subjicit sese pedibusque Petri,  
Mox adit supplex hypogæa sacris  
Clara sepulchris.

O Deus simplex, pariterque Trine  
PACIS AUGUSTÆ miserere clemens,

Des et Atthonis meritis supernæ  
Munera pacis. Amen.

O R A T I O.

Exaudi Domine preces nostras, et in-  
veniente Beato Atthone Confessore tuo,  
atque Pontifice, indulgentiam nobis tri-  
bue placatus, et pacem. Per Dominum.

AD MATUTINUM.

*H*YMNUS.

Licet reluctans crediti  
Curam gregis jam suscipis,  
Illumque Pastor ut bonus  
Ad sana ducis pascua.  
O ut tuis vestigiis  
Insistit ille protinus,  
Petitque fontes limpidos,  
Quos diligens tu detegis.  
Aurem suam te sepiens  
Dictis tuis accommodat,  
Et jussa Christi, quæ doces,  
Implere factis nititur  
Pistorienses nunc tuos,  
Unaque cum PACENSIBUS,  
Qui te rogantes invocant,  
Cœlo receptus adjuva.

Sit laus Patri, sit Filio,  
 Sit inclyto Paraclito,  
 Qui nos Verendi Præsulis  
 Det æmulari spiritum Amen.

*In primo Nocturno Lectiones de Cñi.  
 Conf. Pontif. = Fidelis sermo.*

IN SECUNDO NOCTURNO.

LECTIO IV.

Attho, natione Hispanus, Patria PACENSIS, litteris, et moribus cultissimus, jam ætate provectus in Italiam venit, ut Sacra Romæ monumenta inviseret, et Sanctorum Apostolorum limina adoraret. Exinde Sacrum Montis Cassini Archisterium, et Camaldulensem adiit Erémum, ex quibus in Dei amorem ita exarsit, ut cætera Sanctorum loca cupidius exoptaret videre. Sed Vallem umbrosam aggressus, Monachorum ibi degentium Religione, et Sanctitatis viva imagine delectatus, relicto sæculo, et cucullum indutus, Sanctissimi Patris Benedicti legibus, ac Vallum-brosanis strictioribus institutis se devovit.

LECTIO V.

Tanta in eodem Coenobio sub Sancti Bernardi Abbatis, et Cardinalis directio-

ne, virtute, et apud omnes existimatione profecit, ut assumpto ad Episcopatum Parmensem Bernardo, mortuoque Theodorico ejus viro Sanctissimo, post quinquennium, à quo habitum sumpserat Monasticum, omnium votis, et præcipuè ejusdem Sancti Bernardi precibus, Abbas, et totius Vallumbrosanæ Congregationis Generalis electus sit. Quo in munere, et alios ad sui imitationem provocavit, et multis Monasteriis cõditis, sacrum vitæ rigorem mirificè propagavit. Fama sanctitatis ejus ubique diffusa, à Pistoriensibus ex eadem Congregatione successivè quartus Episcopus post Hildebrandum instantissimè deprecatur. Quod munus, jubente summo Pontifice, invitatus licet, et multum reluctans, admittere coactus de Monachicis nihilominus studiis, atque exercitiis nihil prætermisit.

*LECTIO VI.*

Divino cultui addictissimus horis omnibus tam Diurnis, quam Nocturnis semper interfuit. Ægrotos, ut verum Pastorem decet, diligentissimè fovit, afflictos, Viduas, Pupillos, ac Pauperes recreavit, quos ope, ac operà juvit, sanctisque mo-

ribus instituit. Ecclesiam suam ad annos viginti gubernavit, ita ut ea tempestate, in qua schismata plura regnarunt, in Anglicano Concilio, Matthæus quidam Cardinalis Sancti Georgii publicè dixerit: *Romana et Apostolica Sedes beata foret, si Atthonis Pistoriensis Episcopi duceretur moderamine gubernaculi.* Ejus inter merita haud minimum fuit impetratio reliquiarum Sancti Jacobi Apostoli à Didaco Archiepiscopo Compostellano, quem deinceps Pistorienses urbis suæ Tutelarem sibi adoptaverunt. Demum meritis plenus, ac senio confectus, insignibus à Deo miraculis honoratus inter Monachorum suorum manus sanctam efflavit animam, anno millesimo centesimo quinquagesimo tertio, cujus sacrum corpus post centum octoginta annos integrum repertum, cælestis odoris suavitate fragrantissimum, adhuc incorruptum in Ecclesia Episcopali quiescit.

*In tertio Nocturno. Homilia de Cñi. Conf. Pontif. secundo loco, in Evang. Vigilate,*

AD LAUDES.

HYMNUS.

Artus cruento desine

Pulsare sæpe verberè,  
 Et, Attho, præbe debili  
 Tuo quietem corpori.  
 Illud satis jejunia,  
 Sitis, labores improbi,  
 Senecta, productæ preces,  
 Et macerarunt frigora.  
 Petunt oves hoc supplices,  
 Quæ maximè te diligunt,  
 Quæ singulis et sedulæ  
 Opis diebus indigent.  
 Sed non faves precantibus  
 Timens, rebellis ne caro  
 Contra levet se spiritum,  
 Illumque dirè deprimat.  
 Beata præsta Trinitas,  
 Concede simplex Unitas,  
 Ut æmulemur inclyta  
 Exempla tanti Præsulis Amen.

*Missa: Sacerdotes tui. = Oratio propria  
 ut in Officio.*

IN SECUNDIS VESPERIS.

*HYMNUS.*

Corusca lux PACENSIIUM,  
 Ingens Erémi gloria,  
 Decus perenne Præsulum



Adesto nunc canentibus.

Te jure, cassus lumine,  
Pupillus, æger, languidus,  
Cunctisque demum providum  
Patrem vocarunt pauperes.

Donat Deus qui præmia,  
Servat tuum putredinis  
Expers adhuc, et integrum  
Post multa corpus sæcula.

Nos quæso clemens aspice,  
Nobis benignus subveni,  
Et duc solutos corporis  
Vinclis in arces siderum.

Sit laus Patri, sit Filio,  
Sit inclyto Paraclito,  
Qui nos Verendi Præsulis  
Det æmulari spiritum. Amen.

*Officium S. Atthonis concessum de communi pro Diocæsi Pacensi 8. Ap. 1614.=  
Lectioes 2. Noct. propriæ approbatæ  
pro Ecclesia Pistoriensi 4 Mart. 1673.=  
Eædem extensæ ad Ecclesiam Pacensem  
14. Ap. 1742.=Dup. 2. clas. et Hymni  
proprii pro Diocæsi Pacensi, 15. Maj.  
1819.=Oratio propria et Missa assignata  
de communi pro Diocæsi Pacensi 7 Ap.  
1832.*

## DIE DECIMA OCTAVA JUNII.

*In Festo Sanctorum Marci et Marcelliani Fratrum Martyrum, Patronorum minus Principalium hujus Civitatis, (intra muros de præcepto audiendi Missam.)*

*Entraron en el cielo año 286.*

DUPLEX MAJUS.

*Omnia de communi primo loco.*

ORATIO.

Præsta quæsumus omnipotens Deus, ut qui sanctorum mártýrum tuorum Marci et Marcelliani natalitia cólimus, à cunctis malis imminéntibus, eorum intercessió-nibus liberemur. Per Dóminum nostrum.

*In secundo Nocturno, lectio 4. propria, 5. et 6. de communi primo loco.*

IN TERTIO NOCTURNO.

*Ex Octavario Romano. Pág. 336.*

Lectio Sancti Evangelii secundum Lucam.

LECTIO VII. *Cap. 11.*

In illo tempore: Dicebat Jesus turbis Judæorum, et principibus Sacerdotum:

Væ vobis, qui ædificatis monumenta prophetarum; patres autem vestri occiderunt illos. Et reliqua.

Homilia Venerabilis Bedæ Presbyteri.

*Lib. 4 in Luc. 11. c. 51.*

*paulo ante finem.*

Non monumenta Prophetarum ornare, sed interfectores Prophetarum imitari, sceleris est. Judæi ergo Prophetarum monumenta ædificando, patrum suorum facta, qui eos occiderunt, arguebant: sed paterna facinora æmulando, dum Christum, Apostolosque illius insequuntur, in se ipsos sententiam retorquebant, eadem videlicet ipsi, quæ in parentibus damnabant, agentes. Simulabant quidem se, ob favorem vulgi captandum, patrum suorum horrere perfidiam, memorias Prophetarum, qui ab eis occisi sunt, magnificè ornando: sed ipso opere testificantur, quantum paternæ nequitiae consentiant, Dominum, qui ab iisdem Prophetis est præ-nuntiatus, injuriis agendo.

*R.* Propter testamentum Domini &c.

*LECTIO VIII.*

*Paulo post.*

Ut inquiratur sanguis omnium Prophetarum qui effusus est à constitutione mun-

di à generatione ista. Quæritur, quomodo sanguis omnium Prophetarum atque iustorum ab una Judæorum generatione requiratur: cum et multi Sanctorum, sive ante Incarnationem, seu post mortem, resurrectionemque Salvatoris, ab aliis sint nationibus interempti; et ipse Dominus, Judæis licet acclamantibus, à Romano tamen Præsidente, Romanisque sit militibus crucifixus.

*R.* Hæc est vera fraternitas &c.

#### LECTIO IX.

Sed moris est Scripturarum duas sæpè generationes hominum; bonorum scilicet, malorumque, computare, hoc est, eorum qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt; et eorum quibus dicitur, Vos ex patre diabolo estis: et alibi: Serpentes generatio viperarum. A sanguine Abel usque ad sanguinem Zachariæ. Quare usque ad sanguinem Zachariæ cum et multi post eum sint ab hac generatione perempti; nisi fortè, quia Abel pastor ovium, Zacharias Sacerdos fuit; et ille in campo, hic in atrio templi necatus est, utriusque gradus martyres et Laïci scili-

cet, et altaris officio mancipati, sub eorum voluit intimare vocabulo?

Te Deum laudamus.

**DIE DECIMA SEXTA JULII.**

*In Festo Sancti Sisenandi Pacensis,  
Levitæ et Mârtyris.*

**DUPLEX SECUNDÆ CLASSIS.**

*Omnia de communi unius Mârtyris  
non Pontificis, præter sequentia.*

**IN PRIMIS VESPERIS.**

***HYMNUS.***

O Sisenande fervide,  
 PACENSE lumen fulgidum  
 Levita Christi nobilis,  
 Exemplar ediscentium.  
 Paterna linquens limina  
 Opes caducas despicias,  
 Quærensque semper stabiles  
 Discedis à PACENSIBUS.  
 Optans vacare litteris,  
 Et erudire spiritum  
 Coelestibus scientiis  
 Pergis sagax tu Cordubam:  
 Ibique temnens sæculum

Aciscli in æde Martyris  
 Parens piis Doctoribus  
 Ducis juventæ tempora.

O semper una Trinitas

Opem feras PACENSIBUS,

Et Sisenandus impetret

Æterna nobis gaudia. Amen.

*Ad Magnificat. Antiphona.*

Omnia detrimentum feci ad cognoscendum Christum, et societatem passionis illius, configuratus morti ejus.

ORATIO.

Da nobis, quæsumus Omnipotens Deus, arctam salutis viam viriliter aggredi, qui Beato Levitæ Sisenando tribuisti ipsum martyrium aggredi, et superare. Per Dominum &c.

AD MATUTINUM.

*HYMNUS.*

Iam Petrus imperterritus,

Et Valabonsus Mártyres,

Qui nuper hostem vicerant

Te provocant ad prælium.

Aggressus es fortissimus

Hostes feroces, improbos,

Christum fatéris firmiter,

Vatemque temnis impium.

Ira cruentus æstuat

Hæc verba Judex audiens,

Revinciatur imperat,

Caputque Lictor amputet.

O semper una Trinitas

Opem feras PACENSIBUS,

Et Sisenandus impetret

Æterna nobis gaudia. Amen.

*Lectioes 1. Nocturni= Fratres Debitores.*

IN SECUNDO NOCTURNO,

LECTIO IV.

Ex Sancto Eulogio Martyre in Memoriali

Sanctorum. *Lib. 2. c. 5.*

Levita Sanctissimus SISENANDUS ex PACENSI Oppido ortus, Cordubam intuitu discendi avectus est, ibique apud Beatissimi Aciscli Basilicam, qua corpus ejusdem Martyris requiescit, digniter enutritus: ut ipse familiaribus retulit; invitantibus se Beatissimis Petro, et Valabonso, jam coelo martyribus collocatis, martyrium quoque et ipse aggressus est. Qui dum in carcere religatus maneret, tradunt, quod prophético illustratus spiritu patibuli sui horam precius nunciaverit.

*R.* Honestum fecit illum Dominus, &c

*LECTIO V.*

Nam quodam die cum responsum cui-  
dam amico se interroganti aptaret, eique  
reciprocationis schedam scriberet, tribus,  
aut quatuor jam digestis versiculis, subi-  
tò nimia hilaritate perfusus, cœlesti quo-  
dammodo gaudio vegetatus, è loco sessio-  
nis suæ consurgens, adstanti puero sche-  
dulæ portitori, cui miles Christi recipro-  
cari intendebat, semiscriptam ut erat ac-  
commodans, multis audientibus ait: recede  
modo fili, ne impetu satellitum opprima-  
ris, quoniam jam potestas tenebrarum vin-  
culis me extrahere præcipiens, nunc de-  
collandum sibimet exhibebit. Post hanc  
prophetiam immobili semper gressu ipso  
persistente, eodem momento vociferantes  
Lictores adveniunt, eumque præcipiti fu-  
rore ad locum, quo martyrium erat con-  
summaturus, pugnis, alapisque cædentes  
perducunt.

*LECTIO VI.*

Pergit Dei famulus lætantibus animis  
de corona victoriæ certus, qui ad cæleste  
convivium exhortantibus sanctis fuerat  
invitatus. Sic namque Judici præsentatus,  
eâdem qua prius constantia in Sancta con-



fessione perdúrans, delicatus ephébus gloriosa morte peremptus est; atque inhumatus præ foribus Palatii derelictus est decimo septimo Kalendas Augusti feria quinta, Era octingentesima octogesima nona (anno Christi octingentesimo quinquagesimo primo). Cujus ossa post multos dies, donante Deo, á quibusdam mulieribus inventa inter lapillos alvei, in prædicti martyris Aciscli aulam deportata reconduntur.

*R.* Stola jucunditatis induit &c.

*In tertio Noct. Hom. in Ev. Si quis venit,*

AD LAUDES.

*HYMNUS.*

Vix pauca verba scripseras  
 Responsa rumpis gestiens,  
 Et illa mox accommodans  
 Ferenda tradis servulo:  
 Illique dicis anxius,  
 Recede, quæso, protinus  
 Ne te premant satellites  
 Qui ad me furentes advolant.  
 Nunc ecce sunt ad januam:  
 Et cuncta mente prævidens,  
 Vultu serenus in loco

Tu permanes immobilis,  
 Tortoribus ruentibus  
 Pugnis, probris, et alapis,  
 Quo tu peremptus decidas  
 Perduceris lætissimus.

O semper una Trinitas  
 Opem feras PACENSIBUS,  
 Et Sisenandus impetret  
 Æterna nobis gaudia. Amen.

*Ad Benedictus. Antiphona.*

Laboro usque ad vincula quasi male  
 operans, sed verbum Dei non est alli-  
 gatum.

*Missa: in virtute. Ev. Si quis venit.*

IN SECUNDIS VESPERIS.

*HYMNUS.*

Cœleste spondet præmium  
 Recte Deus certantibus,  
 Hoc incitati Martyres  
 Hostes laccessunt prælio.

Incede promptis passibus:

Iníto nunc certamina:

In arce Cœli permanet

Tibi Triumphi gloria

Jam rite Christum prædicans

Te sistis acer Judici,

Præbensque tortori caput

Sub ense victor concidis.

O Martyr invictissime

Nobis favens frequentius

Deum precare, ut munera

Superna semper conferat.

O semper una Trinitas

Opem feras PACENSIBUS,

Et Sisenandus impetret

Æterna nobis gaudia. Amen.

*Ad Magnificat. Antiphona.*

Reddidit Deus servo suo mercedem  
laborum, et deduxit illum in via mirabi-  
li: Beate Sisenande Martyr Christi, inter-  
cede pro nobis.

*Officium Sancti Sisenandi concessum  
de communi pro Diocœsi Pacensi 22. Jun.*

*1654. = Dup 2. clas. Hymni, Oratio, et*

*Lectiones 2. Noct. propr. pro Diocœsi Pa-*

*censi 15. Maj. 1819 = Tres Antiphonæ*

*proprie pro Diocœsi Pacensi 7. April.*

*1832.*

**DIE DECIMA TERTIA AUGUSTI.**

*In Festo Beati Alphonsi Marice de Ligo-  
rio Confessoris Pontificis.*

## DUPLEX.

*Omnia de communi Confessoris Pontificis  
præter ea quæ hic habentur propria.*

## ORATIO.

Deus, qui per BEATUM ALPHONSUM MARIAM Confessorem tuum, atque Pontificem animarum zelo succensum Ecclesiam tuam nova prole fæcundasti, quæsumus, ut ejus salutaribus monitis edocti, et exemplis roborati, ad Te pervenire feliciter valeamus. Per Dominum.

*Lectioes primi Nocturni de Scriptura  
occurrente.*

## IN SECUNDO NOCTURNO.

## LECTIO IV.

ALPHONSUS MARIA DE LIGORIO Neapoli nobilibus parentibus natus, ab ineunte ætate non obscura præbuit sanctitatis indicia. Eum adhuc infantem cum parentes obtulissent Beato Francisco de Hieronymo è Societate Jesu, is bene precatus edixit, eundem ad nonagesimum usque annum perventurum, ad Episcopalem dignitatem evectum iri, maximoque Ecclesiæ bono futurum. Jam tum à pueritia à ludis abhorrens nobiles ephébos ad Christianam modestiam verbo, et exemplo compone-

bat. Adolescens, dato piis sodalitatibus nomine, in publicis nosocomiis ægrotis inservire, jugi in templis orationi vacare, ac sacra Mystera frequenter obire in deliciis habebat. Pietatem litterarum studiis adeo conjunxit, ut sexdecim vix annos natus utriusque Juris lauream in patria universitate fuerit assecutus. Patri obtemperans, causarum patrocinia suscepit, in quo munere obeundo etsi magnam sibi laudem comparasset, fori tamen pericula expertus, ejusmodi vitæ institutum ultro dimisit. Spreto igitur præclaro conjugio sibi à patre proposito, avita primogenitura abdicata, et ad Aram Virginis de Mercede ense suspenso, Divinis ministeriis se mancipavit. Sacerdos factus tanto zelo irruit in vitia, ut Apostolico munere fungens, huc illuc pérvolans, ingentes perditorum hominum conversiones perageret. Pauperum præsertim, et ruricularum miseratus, Congregationem Presbyterorum instituit Sanctissimi Redemptoris, qui ipsum Redemptorem sæculi, per agros, pagos, et castella pauperibus evangelizarent.

*LECTIO V.*

Ne autem à proposito umquam diver-

teret, perpetuo se voto obstrinxit nullam temporis jacturam faciendi. Hinc animarum zelo succensus, tum divini verbi prædicatione, tum scriptis sacra eruditione, et pietate refertis animas Christo lucrifacere, et ad perfectiorem vitam adducere studuit. Mirum sane quot odia extinxerit, quot devios ad rectum salutis iter revocaverit. Dei Genitricis cultor eximius, de illius Laudibus librum edidit, ac de iis, dum ferventius concionando disserit, à Virginis imagine in eum immisso miro splendore, totus facie coruscare, et in extasim rapi coram universo populo non semel visus est. Dominicæ Passionis, et Sacræ Eucharistiæ contemplator assiduus, ejus cultum mirifice propagavit. Dum vero ad ejus Aram oraret, vel Sacrum faceret, quod numquam omisit, præ amoris vehementia, vel seraphicis liquescebat ardoribus, vel insolitis quatiebatur motibus, vel abstrahebatur à sensibus. Miram vitæ innocentiam, quam nulla umquam lethali labe fædavit, pari cum pænitentia socians, corpus suum inedia, ferreis catenis, ciliciis, cruentaque flagellatione castigabat. Inter hæc prophetiæ, scrutationis

cordium, bilocationis, et miraculorum donis inclaruit.

*LECTIO VI.*

Ab Ecclesiasticis Dignitatibus sibi oblati constantissime abhorruit. At Clementis Decimi Tertii Pontificis auctoritate coactus Sanctæ Agathæ Gothorum Ecclesiam gubernandam suscepit. Episcopus externum dumtaxat habitum, non autem severam vivendi rationem immutavit. Eadem frugalitas, summus Christianæ disciplinæ zelus, impensum in vitiis coercendis, arcendisque erroribus, et in reliquis pastoralibus muneribus obeundis studium. Liberalis in pauperes, omnes Ecclesiæ proventus iisdem distribuebat, ac urgente annonæ caritate ipsam domesticam supellectilem in alendis famelicis erogavit. Omnibus omnia factus, Sanctimoniales ad perfectiorem vivendi formam redegit, suæque Congregationis Monialium Monasterium constituendum curavit. Episcopatu ob graves, habitualesque morbos dimisso, ad Alumnos suos, à quibus pauper discesserat, revertitur pauper. Demum quamvis senio, laboribusque, diuturna arthritide, aliisque gravissimis morbis fractus

corpore, spiritu tamen alacrior de cælestibus rebus disserendi, aut scribendi finem numquam adhibuit; donec nonagenarius Calendis Augusti anno millesimo septingentesimo octogesimo septimo Nuceriæ Paganorum inter suorum Alumnorum lacrymas placidissime expiravit Eum inde virtutibus, et miraculis clarum, Pius Septimus Pontifex Maximus anno millesimo octingentesimo decimo sexto Beatorum Fastis adscripsit.

*In tertio Nocturno, Homilia in Evangelium, Designavit Dominus, de communi Evangelistarum, cum Responsoriis Confessoris Pontificis.*

*Missa de communi* = Statuit ei Dominus. = *Oratio propria ut in officio: Evangelium.* = Designavit Dominus, *ut in Festo S. Marci 25 Aprilis.*

*Officium suprascriptum et Missam concessit S. R. C, cum oratione et Lectionibus propriis pro Diocesi Pacensi sub ritu duplicis minoris 7. Ap. 1832.*

**DIE VIGESIMA TERTIA FEBRUARII.**

*In Festo Sancti Petri Damiani, Cardi-*



*nalis, Episcopi Ostiensis, et Ecclesiae  
Doctoris.*

*Este oficio no se puso en su sitio cor-  
respondiente por no haber llegado á tiempo.*

DUPLEX MINUS.

*Officium de communi Confessoris Pon-  
tificis, præter ea, quæ sequuntur.*

*In utrisque vesperis, Antiphona ad  
Magnificat, O Doctor optime: ex com-  
muni Doctorum.*

ORATIO.

Concede nos quæsumus, Omnipotens  
Deus, BEATI PETRI Confessoris tui atque  
Pontificis, monita, et exempla sectari; ut  
per terrestrium rerum contemptum æter-  
na gaudia consequamur. Per Dominum.

*Lectioes primi Nocturni de scriptura  
occurrente; si vero celebretur in Quadra-  
gesima leguntur Lectioes, Fidelis sermo,  
ut in communi Confessoris Pontificis pri-  
mo loco.*

IN SECUNDO NOCTURNO.

LECTIO IV.

PETRUS Ravennæ honestis parentibus  
natus, adhuc lactens à matre numerosæ  
prolis pertæsà abjicitur, sed domesticæ  
mulieris operà semivivus exceptus ac re-

creatus, genitrici ad humanitatis sensum  
 revocatae redditur. Utroque orbatus pa-  
 rente tamquam vile mancipium sub as-  
 pera fratris tutela duram servitutum exer-  
 cuit. Religionis in Deum, ac pietatis erga  
 Patrem, egregium tunc specimen dedit;  
 inventum siquidem fortè nummum, non  
 propriae inediae sublevandæ, sed Sacerdoti,  
 qui Divinum Sacrificium ad illius expia-  
 tionem offerret, erogavit A Damiano fra-  
 tre, à quo, uti fertur, cognomentum ac-  
 cepit, ejus cura litteris eruditur, in qui-  
 bus brevi tantum profecit, ut magistris  
 admirationi esset. Cum autem liberalibus  
 scientiis floreret et nomine, eas cum lau-  
 de docuit. Interim, ut corpus rationi sub-  
 deret, sub mollibus vestibus cilicium ad-  
 hibuit, jejuniis, vigiliis, et orationibus so-  
 lenter insistens. Calente juvena, dum car-  
 nis stimulis acriter urgeretur, insultan-  
 tium libidinum faces, rigentibus fluvii  
 mersus aquis, noctu extinguebat; tum ve-  
 nerabilia quæque loca obire, totum Psal-  
 terium recitare consueverat. Ope assidua  
 pauperes levabat, quibus frequenter pas-  
 tis convivio, propriis ipse manibus mi-  
 nistrabat.

## LECTIO V.

Perficiendæ magis vitæ causa in Avel-  
lanensi Eugubinae Dioecesis Cænobio, Or-  
dini Monachorum Sanctæ Crucis Fontis  
Avellanæ à Beato Ludulpho Sancti Ro-  
mualdi discipulo fundato, nomen dedit.  
Non ita multo post in Monasterium Pom-  
posianum, mox in Cænobium Sancti Vin-  
centii Petræ Pertusæ ab Abbate suo mis-  
sus, utrumque Asceterium verbo sacro,  
præclaris institutionibus, et moribus ex-  
colluit. Ad suos revocatus post Præsidis  
obitum Avellanitarum familiæ præficitur,  
quam novis, variis in locis, structis domi-  
ciliis, et sanctissimis institutis ita auxit,  
ut alter ejus Ordinis Parens, ac præci-  
puum ornamentum jure sit habitus. Sa-  
lutarem Petri sollicitudinem alia quoque  
diversi Instituti Cænobia, Canoniorum  
Conventus, et populi sunt experti. Urbi-  
nati Dioecesi non uno nomine profuit:  
Theuzoni Episcopo in causa gravissima  
assedit: ipsumque in recte administrando  
Episcopatu consilio et opera juvit. Divi-  
norum contemplatione, corporis macera-  
tionibus, cæterisque spectatæ sanctimonie  
exemplis excelluit. His motus Stephanus

Nonus Pontifex Maximus eum, licet invitum, et reluctantem, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem creavit, et Ostiensem Episcopum. Quas Petrus dignitates splendidissimis virtutibus, et consentaneis Episcopali ministerio operibus gessit.

*LECTIO VI.*

Difficillimo tempore, Romanæ Ecclesiæ, Summisque Pontificibus, doctrina, Legationibus, aliisque susceptis laboribus mirifice adfuit. Adversus Nicolaitarum, et Simoniacam Hæreses ad mortem usque strenue decertavit. Hujusmodi depulsis malis, Mediolanensem Ecclesiæ Romanæ conciliavit. Benedicto, et Cadaloo falsis Pontificibus fortiter restitit. Henricum Quartum Germaniæ Regem ab iniquo uxoris divortio deterruit. Ravennates ad debita Romano Pontifici obsequia revocatos, Sacris restituit. Canonicos Veliternos ad Sanctioris vitæ leges composuit. In Provincia præsertim Urbinatæ vix ulla fuit Episcopalis Ecclesia, de qua Petrus non sit benemeritus; Eugubinam, quam aliquando creditam habuit, multis levavit incommodis: alias alibi, quando oportuit, perinde curavit, ac si suæ essent tutelæ

commissæ Cardinalatu, et Episcopali dignitate depositis, nihil de pristina juveni-  
 di proximos sedulitate remissit. Jejunium  
 Sextæ Feriæ in honorem Sanctæ Crucis  
 Jesu Christi: Horarias Beatæ Dei Genitri-  
 cis preces, ejusque Die Sabbato cultum  
 propagavit. Inferendæ quoque sibi verbe-  
 rationis morem ad patrum scelerum  
 expiationem provexit. Demum Sanctitate,  
 doctrina, miraculis, et præclarè actis illus-  
 tris, dum è Ravennate Legatione rediret,  
 Faventiæ octavo Calendas Martii migra-  
 vit ad Christum. Ejus Corpus ibidem apud  
 Cistercienses multis miraculis clarum, fre-  
 quenti populorum veneratione colitur. Ip-  
 sum Faventini non semel in præsentis dis-  
 crimine propitium experti Patronum apud  
 Deum delegerunt. Leo vero Duodecimus,  
 Pontifex Maximus, Officium, Missamque  
 in ejus honorem tamquam Confessoris  
 Pontificis, quæ aliquibus in Diocæsibus,  
 atque in Ordine Camaldulensium jam ce-  
 lebrabantur, ex Sacrorum Rituum Con-  
 gregationis Consulto, addita Doctoris qua-  
 litate, ad Universam extendit Ecclesiam.

*In tertio Nocturno, Homilia in Ev.  
 Vos estis Sal terræ, de communi Doctorum.*

<i>S. Pedro Damiano nació en. . . . .</i>	<i>988.</i>
<i>Fué Abad en. . . . .</i>	<i>1041.</i>
<i>Cardenal y Obispo de Ostia en. . .</i>	<i>1057.</i>
<i>Renunció en. . . . .</i>	<i>1062.</i>
<i>Murió en. . . . .</i>	<i>1072.</i>
<i>de 84 años de edad.</i>	

### DIE VIGESIMA AUGUSTI.

*In Festo S. Bernardi Abbatis, et Doctoris, duplex, omnia ut in Breviario præter sequentia.*

*In utrisque vesperis, ad Magnificat, Antiphona. O Doctor optime. &c*

*Oratio: Deus qui populo tuo, &c.*

*Lectiones 1. N. de Scriptura occurrente.*

*Lectiones 2. N. propriæ ut in Breviario; et in fine Sextæ Lectionis addatur ut sequitur: Pius vero Octavus Pontifex Maximus ex Sacrorum Rituum Congregationis consilio Sanctum Bernardum universalis Ecclesiæ Doctorem declaravit, et confirmavit, necnon Missam, et officium de Doctoribus ab omnibus recitari jussit, atque Indulgentias Plenarias quotannis in perpetuum Ordinis Cisterciensium Ecclesias visitantibus die hujus Sancti Festo concessit.*

*Lectioes tertii Noct. Vos estis Sal terræ,  
Missa de communi Doctorum, cum  
Epistola secundo loco, quæ incipit. Jus-  
tus cor suum &c.*

*In Martyrologio addatur: Quem Pius  
Octavus Pontifex Maximus universalis Ec-  
clesiæ Doctorem declaravit et confirmavit.  
S. Bernardo murió año. . . . . 1153.*

**DIE DECIMA QUARTA OCTOBRIS.**

*In Festo Sancti Callisti, Papæ et  
Martyris. duplex, omnia ut in Breviario  
præter sequentia.*

IN SECUNDO NOCTURNO.

*LECTIO IV.*

**CALLISTUS** Romanus præfuit Ecclesiæ  
Antonino Heliogabalo Imperatore. Cons-  
tituit Quatuor anni Tempora, quibus je-  
junium ex Apostolica traditione acceptum  
ab omnibus servaretur. Ædificavit Basi-  
licam sanctæ Mariæ trans Tiberim: et in  
via Appia vetus cæmeterium ampliavit,  
in quo multi Sancti Sacerdotes et márti-  
res sepulti sunt; unde ab eo Callisti cæ-  
meterium appellatur.

*LECTIO V.*

Ejusdem pietatis fuit, quod Beati C-

lepodii præbyteri et Martyris corpus jactatum in Tiberim conquiri diligenter curavit, et inventum honorificè sepelivit. Palmatium Consulari, Simplicium Senatoria dignitate illustres, Felicem et Blandam, qui deinde omnes martyrium subiere, cum baptismo lustrasset, missus est in carcerem, ubi Privatum militem ulceribus plenum admirabiliter sanitati restitutum, Christo adjunxit; pro quo idem recens adhuc à fide suscepta, plumbatis usque ad mortem cæsus occubuit.

*LECTIO VI.*

Sedit Callistus annos quinque, mensem unum, dies duodecim. Ordinationibus quinque mense Decembri creavit Præbiteros sexdecim, Diaconos quatuor, Episcopos octo. Post longam famem, crebrasque verberationes præceps jactus in puteum; atque ita martyrio coronatus sub Alexandro Imperatore, illatus est in cæmeterium Calepodii via Aurelia, tertio ab Urbe lapide, pridie Idus Octobris. Ejus postmodum corpus in Basilicam Santæ Mariæ trans Tiberim ab ipso ædificatam delatum, sub ara majori maxima veneratione colitur.

*S. Calisto murió año. . . . . 223.*



## OCTAVÆ

*in aliquibus locis hujus Diœcœsis celebrandæ ex Octavario Romano.*

*In omnibus Octavis Lectiones 1, Noct. semper sunt de Scriptura occurrente*

*Octavæ celebrantur in districtu Ecclesiarum sui Tituli.*

Die 8. Febr. Zafra: Oct. S. Brigidæ V. *lls.* 2. N. p. 463. 3. N. p. 473.

Die 9. Febr. Zafra, Torre, Villalva, et Alburquerque. Oct. Purif. B. M. V. *lls.* 2. N. p. 46. 3. N. p. 51.

Die 10. Febr. Salvatierra, Valencia del Barrial, et Bodonal Octav. S. Blasii Ep. et M. *lls.* 2. N. p. 203. 3. N. p. 215.

..... Fregenal: Oct. B. M. V. sub Titulo de Remedios. *lls.* 2. et 3. N. ut in Fest. Expectationis B. M. V. 18. Dec.

Die 30. Ap. In Oppid. S. Georgii: Oct. S. Georgii M. *lls.* 2. N. Principes persecuti sunt me gratis, ex Brev. in commun. unius Martyris, 2. loc. *lls.* 3. N. p. 248.

Die 2. Maj. Oliva: Oct. S. Marci Ev. *lls.* 2. N. p. 176. 3. N. p. 189.

Die 6. Maj. Alconera: Oct. S. Petri M. *lls.* 2. et 3. N. ut supra in Oct. S. Georgii M

Die 16. Maj. Burguill. et Atalay. Oct. S.

*Gregorii Cardin. Ep. Ostiens. lls. 2. N. ex Brev. 30. Jan Oct. S. Ildephonsi. lls. 3. N. p. 364.*

*Die 29. Maj. Collegium: Octava S. Atthon. Ep. et C. lls. 2. N. ut in Oct. S. Ildephonsi lls. 3. N. p. 373.*

*Die 29. Jul. Almendral, Olivenza et Solana. Octava Sanctæ Mariæ Magdalenæ. lls. 2. N. ex Brev. 15. Jul. Oct. S. Elisabeth. lls. 3. N. p. 146.*

*Die 2. Aug. Fregenal, et Valle de Santana. Octava Sanctæ Annæ. lls. 2. et 3. N. ut in Oct. S. Elisabeth.*

*Die 5. Aug. Santamarta et Salvaleon Oct. S. Marthæ V. lls. 2. et 3. N. ut supra in Octav. S. Brigidæ V.*

*Die 6. Aug. Nogales: Oct. S. Christophori M. lls. 2. et 3. N. ut supra in Octav. S. Georgii M.*

*Die 11. Aug. In Oppid. S. Dominici: Oct. S. Dominici C. lls. 2. N. p. 413. 3. N. p. 424.*

*Die 13. Aug. Puebla del Conde: Oct. Transfiguratio Dñi. lls. 2. N. p. 29. 3. N. p. 31.*

LAUS DEO,  
*et Beatissimæ semper Virgini, Dei Genitrici, Domine nostræ, conceptæ sine labe peccati originalis. Amen.*



